

mur. Sic iterum Sanctus Chrysostomus suadet, dicens : Pareamus B. Paulo constituentes in nostris illibus areulam pauperibus, quæ eo in loco, ubi quisque consistere et orare solitus est, reponatur ; ita ut elemosynam primum, quoties accesseris oraturus, imponas, et deinde orationem proferas. Et profecto non minus est iuxta lectum elemosynam reponere, quam si iste Evangelium suspendas ; siquidem Evangelium hic suspensum nihil agit, nec tantillæ quidem virtutis est, in hac vero areula adversus Diabolum armaturam habes repositam : hac orationem tuam penetrantem efficit, domum sanctam reddis, in ac conclusas habes regias dapes. Ea propter ad lectum deponatur illa, et sic absque phantasiis tranquille noctem transiges. Jam et commoditates, quibus liceat admodum facile colligere, vultis, ut recenseam ? fiet. Sic igitur abjectionem suam artifex aliquis, vel sutor, vel coriarius, vel faber ærarius, quicumque tandem is fuerit, levem reddit. Si aliquid vendiderit ille sui artificii, primitias ejus pretii offerat Deo, et huc paululum quid conficiat, exiguumque partem Domino dividat. Multum enim ut huc conferat, non postulo, sed tantum quantum vel infantes pueruli, vel miseri et egeni homines peterent, tantum nos, qui cœlum speramus, demus. Neque de vendentibus tantum hæc, verum et ementibus, et aliis operantibus dicta sint. Eam regulam et agricolæ in proventus rerum, eam semel omnes, quotquot legitimos colligunt census, observant. Facilis autem illa nobis ex consuetudine res fiet, paulatimque a parvis ad magna ascendemus, et studebimus opes contemnere, ipsam malorum radicem evellere. S. CHRYS., h. XLIII in I ad Cor.

Lucro spirituali cœlestium meritum inhære ; sic enim fiet, ut, cum ars hæc sit omnium quæstuosissima, totis viribus in eam incumbamus, S. Joannis Elemosynari exemplo, qui usque adeo in hanc virtutem incubuit, ut nihil aliud cogitasse, aut egisse videtur.

Patronos sibi certos eligere, qui virtuti huic singulariter studuerunt (quales sunt S. Laurentius, S. Joannes Elemosynarius, S. Thomas Villanovanus, S. Paulinus, S. Joannes de Deo, S. Thobias, S. Elisabeth) eorumque partim exemplo partim suffragiis ad imitationem se excitare.

ASCETICA.

Septem sunt potissimum capita, quæ Asceta de hac virtute bene addiscere, aliusque inculcare debet. Primum est, « ut bene cognoscat finem, propter quem Deus et pauperes esse permittit, et nos iisdem subvenire desiderat ; » id quod Sanctus Gregorius Nazianzenus sequentibus verbis præclare docet : Charitatis præcipuam partem in eo sitam esse comperio, ut pauperes amore et misericordia complectamur. Pauperes et afflictos Deus esse vult, ut nos infirmitatis nostræ submoneant, illudque nobis persuadeant, ut nulli rerum præsentium atque in oculis cadentium velut firmæ ac stabili animo adjiciamus. Cum igitur nihil sit stabile in præsentia vita, de opibus in tuto collocandis cogitandum est. Beneficentiæ in pauperes infinita sunt commoda. Nullus omnino cultus Deo perinde gratus est, ut misericordia erga pauperes. Nihil tam Deo proprium est, quam misericordia, et beneficentia. Imitandus est nobis Deus. S. GRÆG. NAZ., orat. de Paup. amore. Hoc ipsum etiam solide ostendit Sanctus Chrysostomus, dum ait : Sæpenumero dixit, elemosynam non accipientium, sed potius dantium gratia introductam esse ; nam illi sunt, qui potissimum inde lucrantur. Non vides, quod omnes mutua opera indigemus ? Miles opificis, opifex negotiatoris, negotiator agricolæ, servus liberi, dominus servi, pauper divitis, dives pauperis. Etenim qui accipit elemosynam, maxime omnium usui est. Ineffabilis sapientiæ Dei hoc opus est. Nam cum mutua opera indigemus, et necessitas illa non conciliaret amicitias nostras, si omnia sufficerent, nonne essemus indomite bestię ? Ita Deus subiecit nos invicem ob hanc necessitatem, ut quotidie alter alterum requirat. Nescio, quod non tam propter pauperes elemosynam Deus, quam propter ipsos impendentes instituit. S. CHRYS., h. XVII, in Ep. II ad Cor.

Secundum est, « ut bene cognoscat capita ad misericordiæ substantiam seu essentiam necessaria : » quæ quidem breviter, et bene indicavit S. Chrysostomus, dum dixit : Triasunt, quæ in misericordiæ opera optanda sunt Christiano : ut possit facere, ut velit, ut compleat : ut possit, id est, ut substantia

faciendi non desit : ut velit, hoc est, voluntas adsit, qua faciat, quia substantia non deest, qua fiat. Tertium est, ut compleat, id est, quæ possit et velit, sine dilatione perficiat : his enim tribus opus tantum, tamque præclarum impletur. S. CHRYS., h. de Misericordia et duabus viduis.

Tertium est, « ut etiam circumstantias ad omnimodam perfectionem misericordiæ necessarias bene addiscat, » quæ quidem sequentes potissimum assignantur a SS. Patribus et Asceta.

1. Ut mundo corde offerat elemosynam : ita enim Apostolus indicavit, dicens : Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. I Cor., XIII, 3. Nam, ut recte observavit S. Gregorius, qui indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam a nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, et se peccato. Hoc, quod minus est, obtulit Auctori, et hoc, quod majus est, servavit iniquitati : Mundari ergo prius debet animus, quam elemosynam præbeat, quia omne, quod datur Deo, ex dantis mente pensatur, et ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia offertur. S. GRÆG., in Moral., l. XIX. Et iterum alibi : Admonendi sunt, inquit, qui sua misericorditer largiuntur, ut solliciti seipsos custodire studeant, ne, cum commissa peccata elemosynis redimunt, adhuc redimenda committant, ne venalem Dei justitiam æstiment, si, cum curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrentur se posse inulte peccare. Melior quippe est anima, quam esca, melius corpus, quam vestimentum, pauperibus largitur, sed tamen animæ, vel corporis iniquitate polluitur ; quod minus est justitiæ, obtulit ; et quod majus est culpæ, commisit, sua enim Deo dedit, et se diabolo. S. GRÆG., p. III, Adm. XXI.

2. Ut cum bona intentione fiat : sunt enim quidam, inquit S. Ambrosius, qui ad jactantiam solam, decorem largitatis affectant, ut eo se probatos vulgo velint, quod sibi nihil reliquerint : sed dum præsentis sæculi mercedem requirunt, non reconduunt in futurum : et quia hic perceperunt mercedem suam, illic sperare non possunt. S. AMBR., lib. II, de Pan. Hinc super illa verba Apostoli : « Qui tribuit, in simplicitate : » bene notandus est S. Anselmi discursus, dum ait : Qui tribuit de suo aliis in simplicitate,

sit membrum eorum, id est, si nihil repetat ab illis quibus dedit, sed tantum Deo, qui remunerator est omnium honorum ; qui tribuit indigentibus, in simplicitate cordis hoc faciat, hoc est, ne videatur manibus benefacere indigentibus, et laudem corde quærat ab hominibus ; unde celestis Magister noster MATTH., VI, monet dicens : « Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est ; cum ergo facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et vicis, ut honorificentur ab hominibus. » S. Thomas de hac personante tuba, inquit : Tuba canere, est pompam vanæ laudis appetere. Unde Rabanus ait : Ante se tuba canit, qui ante alios vult laudari. Salmeron inquit : Nota Dei bonitatem, qui in numerato habet omnia opera nostra, et illa singillatim explicat (scilicet in finali judicio) modo nos ab illorum enumeratione avertamus oculos, nihilque nos fecisse putemus. S. Ansel. eum qui misericordiæ opera exerceat, monet, dicens : Faciat hoc in simplicitate supernæ intentionis, non in duplicitate præsentis et futuræ gloriæ. Dionysius Cartusianus « in simplicitate » ita exponit : Id est, in simplici intentione, videlicet ad gloriam Dei, non propter laudem humanam : nam, ut S. August. ait, misericordia, qua homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium. Imo non solum proximis benefaciendum non est propter applausum, et gloriam mundanam, sed neque etiam ob alios fines, et interesse terrena. Salmeron hanc circumspectionem his verbis indicat : Neque expectemus ullam retributionem, hoc enim et gentiles abominati sunt : nam Seneca quodam loco dixit : Demus beneficia, non feneremur, dignus est recipi, qui de recipiendo non cogitavit, dum daret. Quanto ergo purior debet esse liberalitas Christianorum, ita ut neque gratitudinis quidem ullum signum expectarent a recipiente, agnoscentes Christum, qui se fidei-jussorem, et debitorem pro eis constituit, non secus ac si ipse reciperet. MANSI, Disc. XX, p. 4.

3. Ut cum hilaritate fiat : non ex tristitia aut necessitate, ut inquit Apostolus : hilarem enim datorem diligit Deus. I Cor., IX, 7. Hinc, et Siracides suadet : In omni dato hilarem fac vultum tuum, Eccl. XXXV, nam et recte dixit S. Augustinus, si panem

dederis tristis, et panem et meritum perdidisti. Ergo ex animo fac, ut ille, qui intus videt, adhuc loquente te dicat: Ecce adsum. Hæc hilaritas splendor quidam est misericordiae, inquit Salmeron, quæ tum miserenti, tum misero necessaria est: dare enim, et abalienare a se, quod suum est, tristitiam suapte natura parit; at hæc misericordia, virtutis nomen non oblinebit, nisi illa ægritudine expulsa exhiberetur animus. Miser vero, cum egestas semper pauperem affligat, tunc maxime recreatur, quando collatum fuerit beneficium cum alacritatis gratia, nam qui oculis adversus, aut fronte corrugata, et subductis superciliis aliquid dat, gratiam virtutis amittit. S. AUG. in p. 42. Idipsum confirmans Sanctus Bernardus, super Cantica scribens, ex candore filiorum hanc ad propositum nostrum elicit moralitatem, dicens: Et est candor, quem sibi induit is, qui miseretur in hilaritate; etenim si intuearis illum, quem Propheta depingit: « Jucundum hominem, qui miseretur, et commodat; » nonne is tibi videbitur de ipsa animi jucunditate induisse candorem quemdam pietatis, vultui pariter et operi suo? sicut e regione, si ex tristitia, et velut ex necessitate quis tribuat, non candidum plane, sed tetrum præfert manu et fronte colorem, et ideo « hilarem datorem diligit Deus. » Sanctus Anselmus hanc hilaritatem, quæ in subveniente proximo requiritur, considerans ait: In hilaritate hoc faciat, hoc est, qui misero pie compatitur, impendens illi beneficium misericordiae, in hilaritate mentis hoc agat, quia hilarem datorem diligit Deus. Dionysius Carthusianus super præcitatam Psalmistæ versiculum: « Jucundus homo, qui miseretur, etc. » Inquit: In hilaritate cordis hoc facit, ne suo merore miserum magis affligat, unde de quibusdam scriptum est: Consolutores onerosi omnes vos; quos contra ait Psalmista: « Jucundus homo qui miseretur. » S. BERN. s. LXXIII.

4. Ut celeriter fiat: sic enim Sapiens suasit: Cor inopis ne affligeris, et non differas, quod erogaturus sis in egenum. ECCL. IV, 3. Et iterum: Ne dicas amico tuo: vade, et revertere, et cras dabo tibi: cum statim possis dare. PROV. III, 28. Jam ergo, inquit sanctus Basilius, quando suppetit, quid prohibet, quo minus liberaliter impertiare? nonne inops adest? non sunt plena horrea? non merces a Domino parata? non manda-

tum manifestum! Esuriens fame absumitur, nudus frigore rigescit, et tu elemosinam in crastinum differis? Audi Salomonem: ne dicas: regressus revertere? ignoras enim, quid sequens pariat dies. S. BASIL. hom. VI, in *Dicesent*; PROV. III, 28. Hoc Salmeron super illa verba « qui miseretur in hilaritate » discurrens, confirmat, dum ait: est etiam ornamentum misericordiae, celeritas, nam qui cito dat, bis dat. S. Lucas de hydropico scribens, promotam Salvatoris misericordiam et compassionem his verbis indicat: « Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum, apprehensum sanavit illum, nec expectavit, donec ad illum sanandum rogaretur. » Sapiens quoque ad hoc propositum monet inquit: « Noli prohibere benefacere eum, qui potest, si vales, et ipse benefac. Ne dicas amico tuo: vade et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare. » Quam primum Tobias certior factus est de cadavere publice in plateis insepulto jacente, tametsi cum aliis convivis prandio accumberet, statim exiliens de accubitu, etc. Sanctus Augustinus quoque modum indicat, quem observare debent illi, qui nunquam egene benefacere nequeunt, ne misericordiae merito destituantur; dicit enim: supplicem nullum spernas; et qui dare non potes, quod petierit, non eum spernas; si potes dare, da; si non potes, affabilem te præsta; coronat Deus intus volentem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat: non habeo; charitas non de sacculo erogatur. MANSI, *disc.* XX, n. 7.

5. Ut liberaliter fiat: ita enim Tobias filio suasit: quo modo poteris, ita sis misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit; etiam exiguum libenter impertiri stude. TOB. IV, 9. Neque enim dare, sed cum copia dare elemosyna est, inquit sanctus Chrysostomus, ideoque hortatur, ut ii, qui dicant: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, etiam pauperum miserentur secundum magnam elemosynam suam. Quæ tamen magnitudo, ut idem ait, non in pecuniarum multitudine judicatur, sed in dantium promptitudine. S. CHRYS., hom. XXXVII ad Pop. Et alibi super S. Pauli II ad Cor. IX 6. verba: « Qui parce seminat, etc. » discurre; neque enim sufficit misereri, inquit, sed oportet id et largiter, et animo non tristis facere, imo non solum, non tristi, sed alacri et læto. Non enim par est, tris-

tari, sed gaudere; verba autem Apostoli prosequens ait: Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Animum vero dirigens addit: Non ex tristitia, aut ex necessitate; nam utrumque oportet miserturo adesse, et quod abunde et quod cum voluptate det. Quanam gratia cum elemosynam das, ploras? quid dolens omnem boni operis fructum perdis? si namque doles, non misereris utique, sed crudelis es, et inhumanus: quomodo enim, eum qui in tristitia est, refocillabis, si tu doles? *Idem.*

6. Ut constanter fiat, neque putemus nos omnia præstitisse, inquit S. Chrysostomus, si quando semel atque iterum quidquam dederimus: per omnem quippe vitam id facere oportet; non enim semel tantum, sed indesinenter Deo placere debemus. Quod si a bonis operibus exorsi novissime defecerimus, totum perdimus, totum corrumpimus. Audi monitionem perutilem, quæ dicit: Elemosyna ac fides non te deserant. *Idem.*, in præf. ep. ad Philip.

7. Ut indifferenter, seu sine discrimine personarum fiat, uti præclare observat S. Chrysostomus, Apostolum Hebræos ad hospitalitatem his verbis adhortari: « Hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim placerunt quidam Angelis hospitio receptis. » Sanctus vero hic Doctor ita legit: Quidam inscientis hospitio exceperunt Angelos: ac recte dixit, inscientis; nam si sciens illos exceperisset tanta cum benevolentia, nihil magni, mirique fecisset. Sed hæc tota lans, quod igrans, quinam essent, qui præteribant, nec aliud esse credens, quam homines viatores, cum tanta alacritate vocavit intro. Tu quidem igitur, si quem nobilem ac splendendum exceperis, multamque præsteris alacritatem, nihil mirum est, nam virtus ejus, qui excipitur, etiam inhospitalem frequenter adigit, ut omnem exhibeat humanitatem. Cæterum illud maximum, et admiratione dignum, quoties et vulgares et abjectos et viles multa cum benevolentia excipimus. S. CHRYS., conc. 8 de Laz.

Quartum est, ut sciat, quibus, et quo ordine danda sit elemosyna. Nimirum 1. Sibi ipsi: juxta illud Ecclesiastici: Miserere animæ tuæ placens Deo. ECCL. XXXI, 24. Quod ipsum etiam prudenter docuit Sanctus Augustinus, dum ait: Qui vult elemosynam ordinate dare, a seipso debet incipere, et eam sibi primum dare. Est enim elemosyna

opus misericordiae, verissimeque dictum est: Miserere animæ tuæ placens Deo: propter hoc renascimur, ut Deo placeamus. Propter quem delectationis ordinem dictum est: Diligens proximum tuum, sicut teipsum. S. AUG., in *Ench.*, c. LXXVI. 2. *Domesticiis*: juxta illud Isaïæ: Carnem tuam (seu ut Septuaginta interpretantur) domesticos tuos ne despexeris, IS. LVIII, 7, nam si quis propinquos genere ac affinitate conjunctos aspernetur, inquit Sanctus Chrysostomus, quomodo erit in alienos clemens? Quid item si illos de fide instruat, hos in errore jacere permittat, quibus benefacere jure suo facilius et commodius possit, quantæ istud immanitatis erit? et est, inquit, infidelis deterior. Cur id? quia ille, etsi alienos despiciat, propinquos tamen nequaquam aspernetur. Divinas plane leges violat, et jura naturæ, qui negligit suos. S. CHRYS., hom. XIV, in *dicta verba Proph.* Quod etiam confirmat Sanctus Augustinus, dum ait: Cum omnibus procedere non possis, his potissimum consulendum est, qui constrictius tibi junguntur. S. AUG., de *Doct. Ch.*, l. II, c. xxviii. Et videtur, teste Theophylacto, ipse Christus exemplo suo id docuisse, dum in Galilæa cepisset prædicare, et Nazarenus potius quam alius se manifestavit, ut nos doceret prius proprios benefacere (ut loquitur cit. auctor) deinde et ad reliquos amicitiam spargere. *THEOPH.*, in c. IV, *Luc.* 3. Sanctis et justis hominibus: quia hi et propter sanctitatem digniores sunt aliis hominibus, et tum ipsi danti, tum Reipublicæ Christianæ precibus et operibus plus prodesse possunt. 4. Pupillis et viduis: nam religio munda, teste S. Jacobo, apud Deum et patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum. *JAC.* I, 27. De quibus tamen omnibus hæcenus enumeratis regulis servanda est prudens S. Thomæ exceptio dum ait: Intelligendum hoc est de magis subveniendo conjunctis, cæteris paribus; potest enim contingere, quod extraneis sit magis subveniendum, propter majorem indigentiam. S. TH. II, 2, q. 11, a. 3.

Quintum est, ut sciat, ex quibus bonis sit elemosyna danda, nempe 1. ex propriis: nam elemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis rebus congeritur, sed quæ de rebus concessis, et bene acquisitis impenditur, inquit recte Sanctus Gregorius. S. GREG., ep. cx. Elemosyna autem cum iniquitate acquisita abominatio est eorum Christo, teste S. Basilio. S. BASIL., in

admon. ad Fil. spirit. 2. Ex *superfluis*: nam superflua diviti, necessaria sunt pauperi, inquit S. Augustinus: aliena retinet, qui ista tenet. S. AUG., in orat. de Patre. 3. Ex *necessariis*: hoc enim hominis amicissime erga pauperes affecti est argumentum, teste Sancto Gregorio Nazianzeno; et, ut S. Ambrosius loquitur, maximum incentivum misericordie. S. AMBR., l. II Offic., c. xxviii.

Sextum est, ut sciat, *quoniam ex misericordia operibus perferenda sint aliis*, nimirum 1. Spiritualia corporalibus: tum quia præstantiori subjecto, tum quia ad præstantiorem finem, scilicet necessitates animæ sublevandas exhibentur: tum quia remotiores sunt a commodo proprio, scilicet retributionis mutue ab iis, a quibus exhibentur, exspectandæ. 2. Inter spiritualia præcipuam feresees injuriarum ab inimicis factarum liberalem remissionem, ut S. Augustinus indicavit, dum dixit: Multa sunt genera elemosynarum, sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit.

Septimum est, ut causam cognoscat, cur Christus in processu iudicii enarrando, solius misericordie mentionem fecerit; quam quidem recte assignavit S. Thomas Villanovanus, dum dixit: Non hæc opera præcipue commemorantur, quia sola bona, aut quia perfectiora sunt, sed duplici ratione hoc dicitur. Primo, ut Dominus ea commendaret, et ostenderet hominibus sæcularibus, et populo Dei, in his præcipue salutis rationem perquirendam esse, qui spiritualibus vacare minime possunt. Secundo, ut per hoc, quid de perfectioribus tunc fiet, intelligat. S. THOM. VILLANOV., Conc. de S. Martino.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Estote misericordes, sicut Pater vester celestis misericors est: » dici potest, Christum his verbis compendium omnium doctrinarum ad misericordie virtutem spectantium proposuisse. Nam 1. ostendit modum eandem exercendi, exhibendo ideam perfectissimam misericordie divinæ, seu Patris celestis, qui omnibus tam bonis quam malis oriri facit solem suum aliæque beneficia largissime tribuit: et miseretur omnium, et dissimulat peccata hominum propter penitentiam: in quibus

duobus actibus potissima misericordie substantia consistit. 2. *Motivum* perfectissimum et efficacissimum, scilicet summam dignitatem misericordie, quæ oritur ex eo, quod Deo nos similes faciat, inculcando. 3. *Medium* pariter efficacissimum suggerendo, quo ad misericordiam incitemur, nempe exemplum et misericordiam Patris celestis erga nos, quo nihil potest esse efficacius; si enim optimum medium provocandi ad amorem est amor, quidni idem de misericordia dicatur? Excitentur proinde auditores ad misericordiam tanto alacrius exercendam, quanto præstantiorem ideam sunt nacti.

Ex occasione thematis: « Misereor super turbam: » MARC. VIII, 2 ostendi potest, quinam potissimum obligentur ad hæc verba dicenda, atque adeo misericordiam exercendam. Nimirum 1. *Judices et Consilarii*: ut non diu differant lites et causas, aut querelas subditorum ad exitum perduere; meminerint proinde sibi dictum, quod olim Josaphat ad Judices a se constitutos dixit: Videte, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Dei; et quocumque judicaveritis in vos redundabit. II PAR. XIX, 6. 2. *Domini respectu servorum et mercenariorum*, ut observent illud S. Tobie monitum: Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue; et merces mercenarii apud te omnino non remaneat. TOB. IV, 45. 3. *Divites*: ut credant sibi dictum a S. Davide, imo et ab ipso Deo per Davidem: Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. PS. X, 14, *juxta Heb.* Studeant proinde dispensatoris officio tanto fidelius fungi, quanto majus ob tantam fidelitatem premium olim sperare possunt. 4. *Mediocris fortunæ homines*: ut et ipsi saltem pro tenuitate suorum honorum observent illud S. Tobie monitum: Quo modo poteris, ita esto misericors: si exiguum tibi fuerit, exiguum libenter imperitari stude. TOB. IV, 8. Meminerint proinde viduæ duos obolos in gazophylacium mittentis, et omnium aliorum liberalitatem superantis. 5. *Ipsi pauperes*: ut, quanto magis sentiant ipsi, quam gravis miseria sit paupertas, tanto magis condoleant aliis pauperibus: nec invidiant elemosynam, aut impediunt: sed potius de suo communicant, aut communicandi desiderium ostendant, ac pro se multo orent, memores, nullam esse præstantiorem elemosynam, quam quæ pauperi a paupere datur.

Ex occasione eorumdem verborum pos-

sunt explicari circumstantiæ, et a Christo in pasceuda turba observata. Nempe 1. Quod ante, quam daret oculos ad cælum elevarit, et per purissimum *intentionem* solius divinæ gloriæ querendæ opus misericordie mox exercendum Deo consecravit. 2. Quod cum sincero *compassionis* affectu dederit, ut verba illa: Misereor super turbam, indicant. 3. Quod *statim* ac cognovit ipsorum necessitatem, succurrerit. 4. Quod *liberaliter* subvenit, ita ut multi cophyni fragmentis onusti superfuissent. 5. Quod *prudenter* dederit, offerendo talem cibum, qui ad necessitatem sublevandam, non delicias subministrandas conducebat. 6. Quod omnibus *indifferentes* hæc misericordiam præsterit, non respiciens personas hominum. Excitentur proinde auditores ad tam præclarum exemplum tanto studiosius imitandum, quanto nobiliorum in illo tradendo magistrum sunt nacti.

Ex occasione thematis: « Et coeperunt se omnes excusare: » LUC. XIV, 18: afferantur, et refutentur variæ excusationes, et objectiones, quibus plerumque homines conantur se a præcepto elemosynæ eximere. Quorum 1. est, quod ipsimet nihil habeant, et egeant: quibus illud S. Chrysostomi objiciatur: Nullus miser, nisi qui misereri noverit: quia nec quisque misereri desiderans poterit non habere, quod tribuat; non enim misericordie definita sunt prælia. Ostendatur proinde, quomodo possint misereri affectu, oratione, congratulatione ob elemosynam aliis datam, etc. 2. Quod per elemosynam census minuatur; et ipsi depauperentur, quibus illud S. Leonis in memoriam revocetur: non timeatur in iis expensis facultatum defectio, quoniam ipsa benignitas magna substantia est: nec potest largitatis deesse materies, ubi Christus et pascit, et pascitur. Ostendatur præterea hæc esse optimam et licitam usuram juxta illud Salomonis: Feneratur Domino, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei. PROV. XIX, 17, 3. Est, quod effectum hujus liberalitatis non sentiant, etiamsi et ipsi elemosynas dederint, et ab aliis datas viderint: quibus illud S. Chrysostomi opponatur: His queris retributionem? propter quid? sine elemosynam esse, et non fac negotiationem. Sane multi et hic acceperunt. Sed non sic acceperunt, quasi hæc ratione his, qui hic non acceperunt, plus habituri essent. Quemadmodum gulosi ventris mancipia ad regiam vocati mensam, non expec-

tantes congruum tempus, sicut parvi pueri suam lætiam lædunt, prius satiantes se villioribus cibis, ita certe et hi, qui hic inquirunt et accipiunt mercedem, alibi minuunt. Porro in usuram dans post multum quid tempus speras accipere sortem, forte autem non accipies, ut dilatione majus fœnus facias. Hic autem statim repetis, idque cum non hic, sed illic perpetuo futuris sis. S. CHRYSOST., tom. IV, h. XVI, in ep. II, ad Cor. 4. Est, quod liberis servare bona sua debeant quibus illud S. Chrysostomi iterum inculcetur: Si ipsis omnia admittas, quibus cum autem hoc ipsi permittimus, plus quam expectamus, efficitur, sic et in pecuniis, si nos earum curam gerimus, ab earum ille providentia recedit; si vero totum in eum proficiamus, et eas, et filios in omni securitate constituit. Si vis itaque multas filiis divitiis relinquere, Deo relinque tutelam. Qui vult dives fieri, fiat pauper, ut dives evadat. Expendat, ut colligat: disperdat ut congreget. Proderit etiam ad hæc objectionem utpote et valde communem, et elemosynis maxime inimicam, illud S. Augustini in memoriam revocasse: Videte, si non est confusio tota vita humana. Quidquid agunt homines, in spe vana, cum cognoverint, quid agant, erubescunt. Quare laborant? cui laborant filii meis, inquit. Et ipsi cui? Filiis suis. Et ipsi quibus? suis etiam filiis. Nemo ergo sibi. Quam excusationem habebis, si neque filiorum tuorum consortem facias, qui te colorum participem fecit, et propter te occisus est, et hæc omnia non debitum reddens sed gratiam faciens. S. AUG., in Psalm. CXXXV, 5. Est, quod ratio familie ac status largiorem elemosynam exigant: quibus illud S. Chrysostomi cum proportione non inepte obtrudetur: Canis tuus cibo factus est, famulus tuus satietate rumpitur, at vero tuus et illius Dominus esurit, Christus tuus alimento caret necessario, fame perit. S. CHRYS., tom. IV, h. XVII, in ep. II ad Cor. 4. Quod ipsum Drexelius pulchra similitudine arboris procrea, sed quia succum a terra attractum in frondes et ramos convertit, omni fructu carentis: et minoris quidem arboris, sed fructu, in quem succum convertit, abundantis, demonstrat. DREX., in Gazoph., p. III, c. III, § 4. 6. Est, quod in

morte dare velint : quibus recte cum S. Chrys. dicitur : Sparge superflua in pauperes, et quod invitus fortasse paulo post iniiciis es cessurus, idipsum volens deponere, tuaque fac, quæ tua nunc non sunt. Opea custodite fugiunt, distributæ manent. Hæc omnia fusi distigata possunt videri apud P. Jeremiam Drexelium, p. III, Gazoph., c. iv.

Ex occasione thematis : « Date et dabitur : » LUC. VI, 33, ostendi potest, quam fructuosa sit elemosyna utpote ob quam datur a Deo. 1. Mensura bona, id est, benedictio in temporalibus. 2. *Conferta*, id est, remissio peccatorum. 3. *Coagitata*, id est, augmentum gratiæ et virtutum connexarum. 4. *Superfluens*, id est, præmium vitæ æternæ : quæ omnia fusius ex his, quæ supra dicta sunt, facile diduci, et amplificari possunt.

Ex occasione thematis : « Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit : » MATT. XIX, 29, explicari potest primarius fructus misericordiæ, quod scilicet sit inter cetera signa prædestinationis, quod probari potest triplici argumento. 1. *Divino* : petito tum ex revelatione Dei per Psalmistam dicentis : Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberalitatem eum Dominus : MATH. V, II, tum ex Christi testimonio dicentis : Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur : MATT. XXV, 34. Et iterum : Venite benedicti, et possidele regnum : esurivi enim, et dedistis mihi manducare : COLoss. III, 12, etc. 2. *Humano* : petito tum ex Apostolico S. Pauli testimonio dicentis : Induite vos sicut Electi Dei viscera misericordiæ : tum ex sententiis SS. PP. supra citatorum. 3. *Naturali* : petito tum ab experientia negativa, cuius testimonium affert S. Hieron. supra citatus dicens : Numquam meminisse, se legisse mala morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit : tum ex ratione, quæ suadet, eadem mensura mensurandum esse, qua quisque alios dimensus fuit. Excitentur proinde auditores, ut sicut electi filii Dei, hoc monile semper in collo portent, in signum electionis, illudque Salomonis sibi dictum putent : Misericordia et veritas te non deserant : circumdæ eos gutturi tuo. PROV. III, 3, etc.

Ex occasione thematis : « Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet :

II. COR. IX, 6, fructus multiplex elemosynæ per similitudinem cum semine explicari potest, atque adeo dici : 1. Quod sicut semen in terra abscondi debet ; ita elemosyna, quantum fieri potest, in occulto dari cupiat. 2. Quod sicut semen non arena ; sed fertili terræ committi debet, ut fructificet ; ita et elemosyna non divitibus, aut cognatis necessitatem nullam patientibus, sed pauperibus dari debeat. 3. Quod sicut semen sæpius rigari debet, ita et elemosyna lacrymis penitentiæ sæpius riganda sit, iuxta dicta superius. Quod sicut semen moritur, ut multiplicatum reviviscat ; ita elemosyna data perdat, ut cum fenore ad dominum dantem revertatur. 4. Quod sicut semen non uno dumtaxat loco spargitur ; ita et elemosynam pluribus offerri conveniat. 6. Quod sicut semen aliud trigessimum, aliud sexagesimum, aut centesimum fructum affert ; ita idem elemosyna recte dicatur, si cum voluntate et intentione sincera distribuatur, uti facile ex his quæ supra dicta sunt, probari potest. Videri etiam potest Drexel, p. III, Gazophyl., c. VI, § 4.

Ex occasione thematis : « Feneratur Domino, qui miseretur pauperis : » PROV. XXV, 17. Elemosyna usura comparari potest, sed licite, et quæ ex omni capite longissime superet usuram corporalem. Et 1. quidem *ex parte Dei accipientis* : cuius qualitates egregie depinxit S. Chrysostomus sequentibus verbis : Deus, quibus maxime debet, hos maxime diligit. Itaque si vis eum semper amicum habere, multorum constitue debitorem. Nec enim ita fenerator debitores habens gaudet, sicut Deus creditores habens delectatur. Et quibus quidem nihil debet, hos refugit : quibus vero debet, ad eos accurrit. Igitur omnia faciamus, ut ipsum habeamus debitorem. S. CHRYS., t. III, h. III, ad Pop. 2. *Ex parte dantis* : qui quidem per usuram materialem sit infamis, Deoque, et hominibus invisus : per spirituales autem similis Deo efficitur, ideoque summam venerationem, et æstimationem apud Deum et homines promeretur. 3. *Ex parte ipsius usuræ* : de qua sic loquitur S. Petrus Chrysologus : Usura mundi est centum accipere et unum pro censu reddere : Deus unum accipit, et centum reddit. Et tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. S. CHRYS., serm. XXV. Da ergo, inquit S. Augustinus, modica, et accipe magna. Vide, quam late crescat fœnus

tuum. Da temporalia, et accipe æterna : da terrena, et accipe cœlum. S. AUG., in Ps. LXIII, 4. *Ex parte pignoris vel assecurationis* : de qua sic discerit S. Chrysostomus : Petit creditor vel hypothecam, vel pignus, vel fidejussorem, hisque tribus vel securitibus fretus pecunias suas credit. Quia igitur intelligit Deus pauperem his omnibus destitutum esse, medium se et quasi sequestrum præstat, pauperi quidem sponsorem, pignus autem vel hypothecam creditori. Non habes, inquit, huic fidem propter inopiam, mihi crede propter copiam. Nec time ; mihi fœneraris. S. CHRYS., in Ps. XXXVIII. Claudatur subinde concio egregia S. Augustini sententia. Demus in usuram, sed Deo, non homini. Ei damus, qui abundat : ei damus, qui dedit, quod demus : et pro modicis rebus profert nobis pro mortalibus, pro patribus, pro terrenis, quæ æterna sunt, et incorruptibilia, et sine fine manentia. Quid multa dicitur sum ? se promittit, qui promittit. Si amas illum, eme illum ab illo. Et tu noveris te ipsi dare, audi illum dicentem : Quidquid uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Dat de cœlo, accipit in terra. Ipse dat, ipse accipit, quasi fœnus trajectilium facis, hic das, ibi recipis res sine fine mansuras. S. AUG., ho. XXIX, c. 50.

Ex occasione thematis : « Prudentes autem acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus : » MATT. XXV, 4, potest misericordia huic oleo comparari. Et 1. quidem ostendi, quod, sicut virgines fatuæ, licet virginitatis dono ornatae, tamen defectu olei a nuptiis excluduntur ; ita et defectu misericordiæ nemo sit ad nuptias cœlestes admittendus, uti clare S. Leo indicavit, dum dixit : Misericordiæ virtus tanta est, ut sine illa cætere, etsi sint, prodesse non possint. E contrario vero qui hoc oleo instructus est, non dubium spem habere poterit, se cum prudentibus virginitibus ad nuptias illas admittendum, uti ex dictis supra patet. S. Leo in s. d. *Apparit*, 2. Ostendi potest, quoniam mercatores sint, apud quos hoc oleum comparari debet, nimirum pauperes, qui quanto plures et promptiores sunt ad elemosynam accipiendam, tanto copiosior est olei huius comparandi occasio, maxime cum ab ipsis mercatoribus (aut certe Deo ipsorum loco) ementibus non ipsum dumtaxat oleum, sed amplum etiam gratiæ gloriæque præmium offeratur. 3. Ostendi potest, quo pretio

emendum sit ; illo nempe, quod S. Chrysostomus indicavit dicens : Quanti omittit ? quanti liberit. Pretium non appono, ne obicias inopiam. Quanti potes, tanti eme, habes denarium, eme cœlum : non quod venale sit cœlum, sed quod clemens sit Dominus. Non habes denarium, da calicem aquæ frigidæ. Da panem, et accipe Paradisum : parva da, et magna suscipe. Atqui neque id habes, vel malis oppresso comparere, atque appensam mercedem habes. S. CHRYS., hom. IX, de Pan.

ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — S. Hieronymus super illa verba : « Cum effuderis esurienti animam tuam, » ita scribit : Ut esurienti non demus panem nostrum, sed animam nostram, ut eum in quibuscumque possumus, adjuvemus, et non quasi ex tristitia, et necessitate, sed ex animo tribuamus, accipientes magis, quam dantes beneficium : « Hilarem enim datorem diligit Deus ; » ut animam esurientem, sive afflictam non recoilemus ex parte, sed satremur, et doleamus cum dolentibus. Tunc oriatur in tenebris lux tua, ille qui dicit : « Ego lux veni in mundum, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat, sed habeat lucem vitæ. » S. HIER., c. LVIII. S. Thomas super illa verba : Erumpet quasi mane lumen tuum, ita scribit : Erumpet primo, quantum ad efficaciam meritum, tum quantum ad opera virtutum : quasi mane lumen tuum, scilicet merita tua clare patebunt.

UTILITAS. — Regius Psalmista inter alios effectus amoris et dilectionis Dei, etiam affectum, quo Rahab prosequabatur, enumerat. « Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob : Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. » At vero in quoniam hæc cœlestis Jerosolymæ gloria, et magnificentia consistit ? in eo nimirum, quod memoria habeatur Rahab meretricis : *Memorero Rahab*. Scimus enim ex Scriptura, quantum hæc mulier, quantumvis fornicaria esset, privilegiata fuerit ; fuit enim ipsa cum tota domo sua a commune excidio Jerichuntino preservata ; atque insuper cuiusdam ex primaria tribu Juda prognato principi desponsata fuit, atque ex ejus linea et progenie stirps Davidica fuit propagata, ex

qua postea multorum sæculorum progressu Filius Dei Altissimi sacratissimam suam assumpsit humanitatem. Scirene autem cupitis, ob quæ motiva Deus hanc animam adeo a se amatam, hoc modo magnificavit? Pulchra est hospitalitas, inquit Nazianzenus, testis inter justos Loth, inter peccatores Rahab meretrix, non tamen animi inductione meretrix, cui bene de hospibus merendi studium, et laudi fuit, et saluti. Abulensis inter alia Deo grata, et ab ipso magnopere remuneratæ hospitalitatis exempla, illud quoque Rahab meretricis enumerat, inquit: Quia exploratores domo sua recepit, habuit nomen æternum in Israel cum esset Cananæa, et in Genealogia Christi locum habuit. MANSI, d. 3, tr. 57, n. 3.

Mystica est visio illa S. Joannis in Apocalypsi exhibita, quam his verbis refert: « Et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis, et habebat in dextera sua septem stellas. » Etenim septem hæc candelabra aurea, et septem stellæ septemque præfigurant opera misericordie corporalis, et septem spiritualia. Corporalia sunt ista, nempe esurientem pascere, sitientem potare, nudum vestire, hospitem colligere, infirmum visitare, vinctum liberare, et mortuum sepelire. Septem spiritualia sunt, peccata demittere, peccantem corrigere, pro peccante orare, ignorantem instruere, hesitanti consulere vel confirmare, lugentibus consolationem præbere, et ad omnes afflictos cordis compassionem habere. In figura horum dicitur in Apocalypsi, quod similis Filio hominis erat in medio septem candelabrorum aureorum, et habebat in dextera sua septem stellas. Candelabra aurea signant septem opera misericordie spiritualia, in cordis hemisphærio lucentia tanquam sidera radiosa: neque sine mysterio septem hæc stellæ in dextera sunt posite; quia in virtute horum operum, prædestinati ad dexteram collocabuntur, et lucebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. *IBID.*, n. 1.

Cogita apud te, quid faceres, si res in manu tua defecerent, ac perirent; in manu vero aliena conservarentur, profecto si sapieres, omnia in manu illius reponeres. In hunc fere modum, cum omnia temporalia bona in manibus nostris marcescant, ac corrumpantur, solæ manus pauperum, quæ Christi sunt, illa incorrupta atque intacta

fideliter servant, magnamque retributionem remunerantur in caelis. Unde scitum est, et elegans mercatoris cujusdam responsum, qui, cum multa millia aureorum haberet in bonis, quaerereturque ex Rege summa pecuniarum, respondit: Se præter mille aureos non habere, cumque Rex putaret sibi dare verba, admirareturque responsum, adjecit mercator: Mille aureos in pauperum usum propter Deum erogavi, et eos tantum meos esse existimo, qui extra omnem aleam fortunæ sunt positi; reliqua bona et voluntati tuæ, et directioni futurum, et fortunæ casibus exposita, pro meis non agnosco. *SALMERON*, t. V, tr. xvi.

Inter omnes veteris Testamenti Sanctos, nullus adeo vivam de corporis sui futura resurrectione fidem, nectam firmam de concedenda sibi visione beatifica spem habuit, quam S. Propheta Job, qui erga pauperes munificentissimus fuit: Ait enim: « In carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurum sum ego ipse: reposita est hæc spes mea in sinu meo. » Scitisne vero, undenam hæc ei fides et certa de visionis fruitione futura spes subnata fuerit? « Si negavi, quod volebant, panperibus, et oculis viduæ expectare feci; si comedi bucellam meam solus, et non comedi pupillum ex ea (quia ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum) si despexi pereuntem, eo quod non haberet indumentum, et absque operimento pauperem, etc. » Unde Origenes de eo ait: Certum est, quod et mensæ ejus, atque sedes ejus, et ministerium copiosum fuerit, sed plus erat ministerium copiosum quod ministrabat hospitibus, et advenientibus infirmis, et miserantibus destitutis, et peregrinis. Pro horum ergo omnium susceptione copiosum nimis habuit ministerium; ideo, quod et in cælo et in excelsis copiosum nimis habuerit ministerium. Plurimi ministraverunt ei super terram pro miserorum susceptione, sed plures ministrabant ei in caelis celestes Angeli, incorruptibiles eleemosynas, atque bona opera ejus in memoriam coram eo in cælum deferentes. S. Leo Mag. similiter hoc viri misericordis lucrum copiosum tangit, inquit: Juvatur conservus, et gratiam refert Dominus, largitor temporalium, hæres efficitur æternorum. *MANSI*, d. 16, n. 7.

Nota, quod duo ostia facit pietas in cælo, scilicet, cum homo misericors intus compa-

titur, et proximo extra subvenit, quod optime figuratur in III lib. Regum, ubi dicitur: « Quod Salomon fecit in ingressu oraculi duo ostia de olivis, » quæ quidem sunt duplex misericordie scilicet corporalis et spiritualis; corporalis subveniendo, spiritualis compatiendo.

Quis est, qui nesciat, quod luclatores, ut vincere possint, corpus suum inungere soleant? Pugil cum adversario pugnaturus, inquit S. Antonius de Padua, solet inungi. Sic justus balsamo, et oleo supradicto (scilicet misericordie, de quo antecedenter locutus fuerat), inungitur, ut manu fortis, id est opere efficiatur, et sic dejiciat inimicum, id est, diabolum. Porro oleum, misericordie symbolum est, quia si quis inunctus fuerit, nullam habet inimicum timendi rationem. S. ANTON. PADU., in *Dom. 18 post Pent.* Aretas super illa verba S. Jacobi: « Superexaltat misericordia iudicium, » scribit: Tale autem quiddam videtur mihi hæc misericordia efficere, quale oleum ab arboribus manans in athletis illitum; dat enim istud elabi, ne ab adversariis teneantur, et ita etiam in universali iudicio misericordia nostra erga egenos dabit effugere impetus ac pericula, quæ a dæmonibus accusatoribus nostris imminabunt.

NECESSITAS. — Si quis ingentem quemdam omnium operum meritoriorum texere posset catalogum, in quibus se omnes anime electæ a principio mundi usque ad finem illius exercerunt, illa quidem innumera, et quasi infinita esse deprehenderet, et tamen illorum supremus Iudex in novissimo Iudicio nullam prorsus in conspectu cæli, et terræ faciet mentionem, sed solum magnificabuntur opera misericordie corporalis. At vero quoniam putas in futurum esse mysterio? Respondet Dionysius Carthusianus, quoniam opera misericordie directe, et evidenter includunt charitatem, virtutum reginam. S. Leo quoque idem dubium his verbis resolvit: Unde autem exigua ista impendia tanta astimari taxatione meruerunt, nisi quia pondera operum misericordie charitatis lance pensantur? Cum igitur hæc opera amoris sint expressiva, utpote derivantia a radice charitatis, quæ præ quavis alia virtute Deo placet, mirum non est, quod eadem opera omnibus aliis operibus quantumvis insignibus, præcellentie palmam diripiunt. *IBID.*, d. 5, n. 1.

EQUITAS. — Salmeron pulchram hanc

adducit similitudinem, inquit: Moris est ut ad Doctorati et Magisterii gradum aspirantes diligenter prius de idonea et sufficienti doctrina examinentur, quibus propterea de more assignantur capita sive thesæ, ad quas ad diem conditum respondeant. Quod si illi certo prænoscerent per multos menses, antequam ad disputationem descenderent, se in illis fore examinandos, profecto id esset sibi gratiosissimum, et jucundissimum, et operam diligenter navarent, ne quicquam posset in sua disputatione desiderari. Vide singularem et incomprehensam Filii Dei bonitatem et charitatem. Nam cum velit nos ad æternorum honorum possessionem promovere, ne minus instructi ac parati accederemus ad tribunal divine justitiæ, admonitos nos esse voluit operum misericordie, quod eorum rationem strictam a nobis esse exigendam intelligeremus. Ait namque: « Venite benedicti Patris mei, etc. Esurivi enim, etc. » *SALMERON*, t. V, tr. xvii.

DIGNITAS. — Observandum, quod Baptistæ, dum ex hac vita paulo post egressurus, certam Discipulis suis de adventu Messie vellet dare notitiam, duos de discipulis suis ad Christum mittens, dixerit illi: « Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? » Et respondens Jesus ait illis: « Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis, et vidistis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, etc. » Quasi dicere vellet: ex hoc indicio me verum Dei Filium, et promissum Messiam esse evidenter intelligetis, quia scilicet mundo leprosos, erigo claudos, illumino cæcos, ignorantes erudio etc. Ad hæc, cum priusquam in caelos ascenderet, suam Apostolis præcipue ad miracula patranda, delegasset omnipotentiam, specialiter hæc miracula in sanandis infirmis ab illis patrari volebat: unde sacer textus ait: « Super ægros manus imponet, et bene habebunt. » *MANSI*, d. 1, n. 7.

S. Joanni Eleemosynario Patriarchæ Alexandrino representata fuit misericordia in specie pulcherrimæ virginis splendide exornatæ coronam oleagini coloris in capite deferens, quæ eidem dixit: Sum prima ex filiabus Magni Regis, si tu me tibi amicum paraveris, potero te ei efficere familiarem. *IBID.*, t. II, n. 2.

Nihil tam commendat Christianum, quam miseratio charitatis, cui accedit et Cicero, dicens: Nulla de virtutibus plurimis admirabilior, nec gratior misericordia: ad homines

enim ad deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. Nihil habet fortuna majus, quam ut possit, nec natura melius, quam ut velit servare. S. Jo. DAMASC., l. II, *Fid. Orth.*, XIV.

Nota, quod misericordia est virtus qua cuncta superat, specialiter excedit tres virtutes inter alias excellentes, scilicet penitentiam, quia penitentia immolat corpus, misericordia vero animam; superat charitatem, eo quod charitas est fluvius divinae pietatis, et currit cum alveis suis, et non exit extra ripas, quia solum bonum diligit, et sua communicat; pietas vero et misericordia extra ripas inundat, et sua bonis et malis communicat, et ideo non solum bona proximorum, sed etiam mala libentissime portat juxta Apostolum: « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » Misericordia superat justitiam, et in signum hujus de curia justitiæ, si est a peccatore suspecta, licet ad consistorium misericordiam appellare, nam dicit Jacob: « Misericordia superexaltat iudicium. » S. BO. NAV. in *Diat.*, tit. VII, c. IV.

Postquam Magdalena soror Lazari pretio sum illud Christi vertici superinfundisset unguentum, Judas vero hac de re inverecunde suburnurasset, Christus ejus sibi vindicans defensionem, celeberrimum illud in ejus laudem textit encomium, quod ad perpetuam rei memoriam Ecclesie annalibus remanebit infertum, dicendo: « Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus. » Non constat quod Christus alabastrum illud pariter unguento pretiosissimo plenum, quod in domo Simonis Pharisei in obsequium suum effuderat tantis laudibus magnificavit, quemadmodum unguentum illud, de quo jam locuti sumus. Quoniam igitur hæc differentia spectat? Num forte illud, quod ex alabastris effundebatur, pariter præstiti et fragrantia non erat? ad hoc respondetur verbis ipsiusmet Salvatoris: « Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit; » hinc enim colligitur, quod quia unguentum hoc sub titulo operis misericordiam, quale est sepelire mortuos, effundebatur, ideo illud præ cunctis aliis devotionis, et dilectionis demonstrationibus, quas ad illud usque tempus ei exhibuerat longe gratissimum habuerit; in tot enim alii servitii et obsequii sibi præstitis, nunquam ad

tam eximias laudes eo suum aperuit: quia futurum erat, inquit S. Remigius, ut hæc mulier corpus Domini mortuum vellet perungere, et tamen non posset, quia resurrectione anticiparetur, ideoque, divina providentia actum est, ut vivum Domini corpus perungeret. Fuitque proinde hoc thymiana, hi odores et unguentum istud Salvatore adeo acceptum, quia illud sibi in sepulturam suam exhibitum esse reputabat: « ad sepeliendum me fecit.

Observandum, quod incarnata Sapientia, de qua dicitur: « Omnia immensura, et numero, et pondere disposuisti, » Sacerdotibus Pontificibus, et Synagoga inspiravit, ut ex pretio sanguinis sui, scilicet triginta argenteis pro quibus traditor vitam ejus illis venderat, in templum a Juda relatis, stabiliis quadam emeretur possessio, scilicet ager figuli in sepulturam peregrinorum. Sed obsecro quodnam in eo latet mysterium? Nimirum ut exinde colligeremus, quando in pretio opera misericordiam habeat. Adeo enim ei placet hoc opus, inquit Episcopus Bellovacensis, ut vendi non recusaret, et pretium venditionis suæ crederet in emptorem agri figuli, ubi peregrini sepelirentur, quorum sepultura cura multum Deo grata est.

In capite ultimo Deuteronomii de morte Moysis quæ in monte Nebo accidit, ita scribitur: « Mortuus est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino, et sepelivit eum in valle, etc. » Ergone nec Deus ipse servum suum Moysen sepelire non fuit dedignatus? sed quid est, quod Moysis corpus (quaerit B. Petrus Damianus) ipse per se Dominus sepelivit? quod si dixeris, ut Oecumenius super Epistolam S. Judæ Apostoli scribens declarat, Deum corpus Moysis opera S. Michaelis, tanquam synagogæ protectoris sepelisse: dicitur Michael ministerium præbuisse et sepeliendo Moysen sciendum tibi est, quod in hoc ipsum magno opere exprimat immensam æstimationem quam Deus habet de misericordiam operibus; siquidem ad hæc exercenda ipsismet celestis militia Principem adhibere non dubitet. Sic quoque Deus ad Tobiam, defunctorum sepulturis operam dantem, non meminit submisit Angelum, sed Raphaelem Archangelum, qui unus est ex septem, qui assistunt ante thronum, ac proinde idem Bellovacensis ait: Hoc opus specialiter coram Domino Angelus præsentat, quasi

maxime sibi gratum, sicut Angelus Tobiae c. XII, dixit: « Quando abscondebas mortuos, etc. »

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Sunt, qui possunt facere eleemosynam, sed nolunt. Sunt, qui volunt, et non possunt. Sunt qui et volunt, et possunt sed differendo, non faciunt. Cæterum qui potest facere, oret ut et velit: et qui vult facere, oret, ut et possit: et qui in utroque paratus est, det operam, ut misericordiam instanter efficiat, ne, quod vult et potest, differendo non compleat. S. CHRYS., h. de *Duabus viduis*.

S. Joanni Eleemosynario quondam misericordiam specie puellæ ornatissimæ et sole splendidioris, quæ coronam de ramis olivarum in capite gestabat, apparuit, dixitque: Ego sum prima filiarum Regis: si me sederis amicum, ego te ducam in conspectum Imperatoris. Etenim nemo habet potestatem apud eum, sicut ego. Ego quippe feci eum in terris hominem fieri, et salvare homines. LEONTIUS, in *ejus vit.*

S. Laurentius quæsitus, ubi essent thesauri Ecclesie, promisit, se sequenti die ostensurum. Quo illucescente, pauperes ostendens dixit: Hi sunt thesauri Ecclesie, et vere thesauri, inquit S. Ambrosius, in quibus Christus est: in quibus Christi fides est: in quibus Christus videri amat. S. AMBR. lib. II, de *Offic.*, c. XXVIII.

Dominus asinæ et pulli, quos Christus solvi, et ad se adduci præcepit, mox ut audiit verba illa: Dominus his opus habet, solvi illas permisit. Quidni idem faciat quibus Christiani divitias libenter dimittat, et pauperibus dividat, cum et sibi dictum sciat: Dominus his opus habet? LUC., XIX, 30.

Quidam Archiepiscopus conquerente suo (Economo, quod plures domi suæ, quam necessitas postularet, aleret, tam utilium, quam inutilium nomina scribi jussit, quæ cum legisset, hos, inquit, dicis esse necessarios, illos vero inutilis; alantur ergo hi, quia horum indigeo: illi vero, quia mei indigent. STAPL., in *Dom. Pal. them.* t.

In mendicis indignitatem non esse aspiendam, pulchre docuit S. Chrysostomus his verbis: non moribus demus, sed homini. Mendicus unum habet patrocinium,

quod eget, quodque in necessitate constitutus est, ne quid ab illo postules amplius. Sed etiam si fuerit omnium improbissimus, et egerit necessario victu, sedem illius famem. Ita Christus præcepit: Portus est in necessitate constitutorum homo misericors. Portus autem omnes, qui in naufragium inciderint, excipit, liberatque. Extremæ insolentia est, pro uno pane totam hominis miseriam curiose inquirere. Nam etiam si homicida sit, aut aliud hujusmodi fecerit, tamen Dominus tuus illi solem suum producit. Obsecro igitur ego vos, omnia in simplicitate faciamus. S. CHRYS., hom. II, conc. 3 de *Lazar*. Nam, ut recte avertit S. Gregorius Nazianzenus multo, satius est, ob eos, qui digni sunt, indignis quoque largiri, quam, dum metuumus, ne de indignis bene mereamur, dignos etiam beneficio fraudare. S. GREG. NAZ. or. XIX, in *Pat. funer*. Misericordia non de meritis judicare consuevit, sed necessitatibus subvenire: juvare pauperem, non examinare, inquit sapienter S. Ambrosius. S. AMBR., in *Epist.*

Non minima etiam misericordiam industria est, egenorum nomina annotare, uti S. Gregorius Magnus, et Joannes Eleemosynarius fecerunt. Sed et S. Sylvester I. Pontifex omnium viduarum et orphanorum nomina annotata habebat. Idem S. Clemens fecit, sed ita, ut etiam in longinquis regionibus transmitteret indigentibus subsidia. Neminem ex iis, quos ab errore ad veritatem amplectendam traduxerat, mendicare passus est, ut, qui se auctore, Christo viverent, se quoque adjuvatore tamen non timerent. DREX., *Gazoph.*, l. II, c. 1, 2. *Spec. Eph. Tim.* c. LXVIII, n. 26 et 27.

Romani olim servos alebant, quorum hic unicus labor erat, cives Romanos nosse, et nomina eorum memoria complecti (ob quam causam Nomenclatores vocabantur) ut, cum Domini eorum velut candidati Magistratum ambirent, ipsi civium, quorum benevolentia captanda erat, nomina suggererent; an non ergo candidati regni celestis potius pauperes ad simile officium alant? DREX., l. c.

UTILITAS. — Quidam pro epitaphio hæc pauca verba inscribi sepulchro voluit: Habeo, quod didi: perdidit, quod servavi. DREX., in *Gaz.*, l. I, c. III.

Nec male Poeta quidam cecinit:

Extra fortunam est, quicquid donatur egenis,
Quas dederis, solas semper habebis opes.
MARTIAL., l. V, *Epig.* XLIII.

Alphonsus Aragonum Rex quesitus quid servaret sibi, qui tam multa aliis donare respondit: quæ dono. DREX., l. c.

S. Joannes Damascenus pulchre ait: « Certe nobilis pecunia Christus est. Ut ergo Christus pectoris tui loculum impleat, ab eo nummus abscedat. » S. JOANN. DAM. Op. XXIV, c. IV.

Anaxagoram patrimonium dives abdicantem allocutus quidam, nullane, aiebat, tibi patriæ cura est? cui illo intento in cælum digito: « Mihi vero, respondit, patriæ cura, et quidem summa est. » LAERT., l. III.

Bellerophon animam suam sub mortem sic allocutus est: Eas ad deos, pia, externis auxiliare, non irasebaris amicis. NADASI, in *an. Euch.* hebdom. xxiii, n. 7.

Transfer ad magnum sacrificium male peritura, suadet Lactantius. Lib. VI, c. XI.

DIGNITAS. — Fidelium calamitates, indignitatemque miseratus, facit in terris opera cælorum. SIDON., l. II, *Ep.* XII.

Prima stipendia pauperis tractantur in celo: erogatio pauperis prima scribitur divinis in diurnis. S. PETRUS CHRYS., s. XIV.

Misericordem te misericordia vult esse, ut in creatura sua Creator appareat, et in speculo cordis humani per lineas limitationis expressa Dei imago resplendeat. S. LEO, s. de *Comm.* SS.

Quidam mendicos non male Imperii (sed cælestis) Electores nominavit, quia ipsi suffragiis suis et precibus ad dicti Imperii possessionem promovent. CASPAR TAUSCH., in *Matre dolor.* l. XXX.

AUCTORES.

Franciscus Arias p. II, *Thesauri* tr. vi.
Hieremias Drexelius, in *Gaziophylacio*; in *Zodiaco symb.* VII, item in *Rosis Marianis*, p. II, c. IX.

Bernardinus Rosignolius, de *Disciplina Chr. Perf.*, lib. IV, c. XXVIII.

Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, p. VI, c. IV.

Joannes Buseus, in *Viridario Virt.* V. *Eleemosyna.*

Petrus Canisius, p. IV, c. X.

Philippus d'Outreman, in *Pedagogo Christiano*, p. II, c. XXV, § 2.

Josephus Mansi, tr. LVII, in *Discursibus mor.*

MISERICORDIA ERGA DEFUNCTOS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua quis defunctorum miseras ex sincero compassionis affectu sublevare satagit.

DIVISIO. — Dividitur in corporalem, et spirituales. Illa est, per quam corporibus subvenitur, uti sit per sepulturæ officium. Hæc est, per quam animæ in Purgatorio detentæ liberantur.

ACTUS. — Pro redemptione animarum crebro et ferventer orare: Multum enim ad hunc finem valet deprecatio justis assidua: et quemadmodum Elias oravit, et impetravit pluviam, ita ad orationem viventium Deus dat mortuis refrigerium et gloriam.

Pro illis eleemosynas largiri: Si enim hanc ad propria peccata tollenda suasit Daniel dicens: Peccata tua eleemosynis redime: quidni etiam ad aliena sufficiat? Sic certe Judas Machabæus facta collatione, duodecim millia drachmarum argenti misit Jerusalem offerri pro peccatis mortuorum sacrificium. II MACH. XII, 23.

Jejunare, aliasque corporis afflictiones pro illis offerre: id quod plurimi Sancti hactenus fecerunt; et etiamnum hodie non pauci faciunt. DAN. X, 12.

SS. Missæ Sacrificium, aut Communionem pro illis offerre: quo illud Tobie referri potest: Panem tuum, et vinum tuum super sepulturam justis constitue. TOB. IV, 17. Si enim pane S. Nicolai Tolentini toties ignis hic materialis extinetus est, quidni similem, imo majorem longe effectum alicui huic Angelico ad restringendum Purgatorii ignem inesse credamus.

Operum suorum quotidianorum fructum satisfactorium usdem transcribere: si enim, teste S. Scriptura, sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur: quanto validior, sanctior et salubrior erit oratio, et a fortiori ipsa operatio? LUCAS TUDENSIS, l. I, c. XXVII.

Etiam indulgentias ipsis, quæ transcribi possunt applicare: quod quidem medium duplici ex capite aliis est præferendum I. Quia,

si plenaria sit indulgentia, omnem statim penam, quantumque illa sit, una vice tollit, uti Christus ipse quondam S. Birgittæ revelavit, dicens: Hi, qui habitis indulgentiis cum charitate perfecta et contritione vera decedunt de hoc mundo, solvantur non solum a peccatis, sed etiam a penis; quia ego Deus non solum dabo Sanctis et electis meis quæ petunt, sed etiam duplicabo et centuplicabo propter charitatem. Lib. IV, *Rev.*, c. CII, 2. Quia, juxta probabilem multorum sententiam, non justis dumtaxat, sed etiam peccatores eam pro defunctis obtinere possunt. DAN., p. V, p. 3.

GRADUS. — Primus est, per quem tum officia ex debito præstanda, tum etiam spontanea certis temporibus pro defunctis offeruntur, uti plerumque fideles animarum illarum pia commiseratione tacti facere solent. Et hæc mensura bona vocari potest.

Secundus est, per quem quis omnem fructum satisfactorium ex bonis suis operibus proveniente, et alteri potiori titulo non debitum, quamdiu vivit, defunctis applicat, quemadmodum S. Gertrudis fecit et etiamnum hodie non pauci faciunt. Et hæc mensura conferri dici potest.

Tertius est, per quem non ille tantum fructus satisfactionis, qui ex propriis operibus totius vite tempore, obvenit, sed ille etiam, qui post mortem ex alienis suffragiis obtingit, singulari cum charitate transcribitur, uti Hernandus Monroy Societatis Jesu Sacerdos fecit. Et hæc mensura coagitata dici potest. RHO., *Virt.* lib. I, c. IV, n. 3.

Quartus est, per quem quis non contentus est, ut ipse misericordiam defunctis juxta mensuram prioribus tribus gradibus descriptam exhibeat, sed alios etiam ad idem faciendum sive sermone, sive scriptura, sive alio modo incitat, uti insigniter præstitit P. Jacobus Molfordus in tractatu de misericordia defunctis exhibenda, ubi fuse et solide probat, per hoc, quod aliquis sua opera quoad satisfactionem defunctis transcribat, non modo non agere contra ordinatum sui ipsius charitatem, sed potius præstantissimum ejusdem charitatis actum exercere, dum ejusmodi favores et gratias promeretur, quos nunquam sperare potuisset, si eadem opera sibi reservasset. Et sane vivus est Deus, quam gratus sibi hic zelus fuerit manifesto miraculo comprobasse. Cum enim Coloniensis typographus, qui hunc libellum imprimebat, legisset in illo, non esse facile

efficacius medium ad quidvis a Deo impetrandum, quam misericordiam defunctis præstitam, et eo ipso tempore filiolus illius lethalius ægrotaret, promisit se centum dicti libelli exemplaria Religiosis donaturum, si animæ purgantes integram filiolo suo sanitatem obtinerent. Et ecce vix conceperat votum, cum domum e templo redux advertit filiolum cibos, quorum nauseam per quatuordecim dies sustinuerat, sumere, postero die surgere, et paulo post omnino convalescere. Eodem postea medio etiam uxori a medicis jam depositæ sospitatem impetravit. Et hæc mensura *superfluentis* appellari potest. ANNUS 1650, fol. 41. *Prov. rom.*

EX S. SCRIPTURA.

UTILITAS. — Doleo super te, frater mi Jonatha, decore nimis, et amabilis super amorem mulierum. II REG. c. I, 26.

Ascendite Angelus Domini de Galgali ad locum flentium. JUD. II, 1.

Tu, quia pius es, miserere nostri. JUDITH. VII, 20.

Vestra abundantia illorum inopiam suppleat: et illorum abundantia sit vestræ inopiæ supplementum. I COR. VIII, 14.

Discurrere, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis: ne dormitent palpebræ tuæ. PROV. VI, 7.

Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aqua cor tuum ante conspectum Domini: leva ad Deum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium comitorum. THREN. II, 19.

Amice, accomoda mihi tres panes (nimirum immolationis Sacramentalis, orationis visceralis, et oblationis liberalis, seu eleemosynæ: his enim tribus panibus animæ purgantes recreantur). LUC. IX, 3.

Exi cito in plateas et vicus civitatis (qualis est purgatorium respectu civitatis cælestis) et pauperes (animas purgantes, quia earent mediis ad se redimendas) ac debiles (quia non possunt se juvare) et cæcos (quia lumen cæli, id est, Deum nondum vident) et claudos (quia ad cælestem patriam pergere non possunt) introduce huc, nempe ad æternum convivium. LUC. XII, 21.

Hos quidem (id est viventes) arguite judi-